

juxta Art. 7. Anni 1638. in usum et conservationem sui, memoratorumque penditum Colapianorum exolutionem; idem Regnum per exactorem suum convertat.

§. 3. Perceptores vero et Exactores ejusmodi proventuum ipsius Regni; juxta Art. 20. Anni 1554. et Art. 65. Anni 1622. ad rationem et rectificationem teneantur et sint obligati.

*De nonnullorum Confiniariorum, praesertim Veszprimiensium, Szentgyörgyiensium, Gyelakocziensium et aliorum, in dedititiis subditos insolentiis, eorumque poena.*

#### Articulus 42.

Ut nimia nonnullorum Confiniariorum et praesertim Veszprimiensium, Szent-Györgyiensium, Gyelakocziensium, Derniensium, Caproncensium, Crisiensium, Legradiensium et aliorum, in omnibus Regni partibus licentia, in dedititiis Regnocolarum Subditis, more Turcico tondendis et divendendis, diversoque rapinarum, furlorum et aliarum injuriarum genere affligendis, refraenetur:

§. 1. Statuunt Regnicolae; ut tales Grassatores et Confinarii, per Capitaneos locorum, vel Dominos ipsorum Terrestres, ad requisitionem damnificatorum Subditorum, vel Dominorum eorundem Terrestrium, confessim incaptivari; et in eosdem poena condigna, sine dilatione animadvertere; alioquin hujusmodi Domini Terrestres et Capitanei, veluti Fautores et Receptatores ejusmodi malefactorum, in Jus Conveniri; qui vero Capitanei commode in Jus conveniri non possent, ii per Comitatus superinde suae Majestati deferri et officiis ipsorum privari debeat atque possint. \*)

*De Commissione pro restitutione Valachorum in Confiniis Regni Sclavoniae et Croatiae degentium, instituenda; ac aliarum quoque injuriarum et difficultatum Regnocolarum complanatione.*

#### Articulus 46.

Ad Valachorum porro, in Confiniis Regni Sclavoniae et Croatiae degentium restitutionem, eorumque omnium, quae in Commissione Varasdensi, Anno 1635. determinata, necdum tamen effectuata essent, et aliorum determinandorum realem atque finalem effectuationem; juxta Art. 51. Anni 1638. et tenorem priorum Regiorum Diplomatut et modernam quoque clementem suae Majestatis resolutionem; pro festo Beati Martini Confessoris et Episcopi, proxime futuro, in Libera Civitate Varasdensi ordinata est per suam Majestatem Commissio, ac ex parte suae Majestatis certi Domini Commissarii denominati cum plena potestate et mandatis, ad id benigne concedendis; ut ipsi cum reliquis infrascriptis, ex parte Regni Commissariis, omnia praemissa, juxta tenorem praescriptorum Diplomatut et Articulorum Diaetalium executioni demandare, vel certi aliquid,

\*) Allegatur; An. 1649. a. 82. Renovatur et extenditur; An. 1659. a. 15.